



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

4. Brvctervs Hæc Colvit Loca.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

3. VETERVM BRVCTERORVM. Et sedes & nomen sæpe vetus hic clarusque populus mutavit. à Vel-  
lejo, Tacito, Suetonio, Apollinari, Claudiano, *Brueteri*, à  
Ptolomæo *Βροάκτεροι*, Strabone *Βρόκτεροι*, vitiose ab utroque  
& contra etymon nominis. in tabula itineraria *Buruēturi*.  
in panegyrico Nazarij *Bruteri*. apud Sulpitium Alexandri-  
num *Brieteri*. à Beda in histor. Anglorum, Marcellino in vita  
S. Suiberti *Boruētuarij*. à Gregorio 2. Papa *Borthari* appellan-  
tur. Postquam vero *pulsis Brueteris ac penitus excisis vicinarum*  
*consensu nationum, seu superbia odio, seu præda dulcedine, in*  
*finis eorum antiquos Chamavi & Angrivarij immigrarunt.* Ta-  
cit. de morib. Germ. superstites ultra *Luppia* & *Amisia* fontes  
ac saltum *Teutoburgium* domicilia ad *Visurgim*, silvam *Her-*  
*cyniam* & *Rhenum*, inter *Coloniam Agrippinam* & *Hassos*, quæ-  
sivère. Claud. de 4. conf. Honorij.

*Venit accola silva*

*Brueterus Hercynia.*

4. BRVCTERVS HÆC COLVIT LOCA.

Si, ut Tacitus habet, inter *Amisiam* & *Luppiam* haud procul  
*Teutoburgiensi saltu ultimi Brueterorum* fuerint, manife-  
stum est, tractum eos *Delbruggium* tum tenuisse.

5. QVOD NVNC INDIGENIS NOMEN VT  
ANTE MANET. Mollerus in descript. Rheni. lib. 5.

*Quin & Dalbrugis vestigia nominis insunt.*

Sive enim *Brueteri* nomen à paludibus, quos *Broucken*  
vocatamus, ut sint *Brouckers* quasi paludū accolæ, sive à ponti-  
bus, qui *Brucken* appellantur est deductum, *Delbruggia* utrum-  
que convenit, quæ & paludosa est, & propterea pontibus ag-  
geribusque abundat. vide orig. Franc. Isacij Pontani. l. i. c. 9.

6. HIC VARVM INFESTO. Hæc potissima  
causa fuit expeditionis adversus Germanios, qua *ultimi Bru-*

G 2

*eterorum*